

INDULGENTIÆ PRO MISSIONARIIS

*Beatissime Pater,*

Indulto diei 28 februarii 1836, Missionarii archidiœcesis Quebecensis qui, ob distantiam locorum, confessionis beneficio privantur, gaudent privilegio lucrandi indulgentias quibusdam pietatis exercitiis affixas, sine confessione actuali, pro omnibus illis casibus in quibus illam nisi difficillime adimplere possint.

Novæ Sti Germani de Rimouski diœcesis Missionarii, anxii sunt ne ex separatione recenti ab archidiœcesi, deinceps cum sibi confessarii copia deficiet, indulgentias Ecclesiæ lucrari nequeant. Et ego ardentem cupiens ut bene meriti operarii in hac Vineæ Domini partē spiritualibus præsidiis affluant, instanter peto a Beatitudine Vestra ut idem Indultum meis missionariis concedatur.

Sanctitatis Vestræ humillimus servus

✠ JOANNES *Epus. Sti. Gni. de Rimouski.*

*Ex audientia SSmi diei 12 Martii 1863.*

SSmūs Dnus Noster Pius Divina Providentia PP. IX, referente me infrapto S. Congnis de Propaganda Fide card. Præfecto, benigne annuit in omnibus juxta petita, servatis tamen clausulis et conditionibus indulti 28 februarii 1836.

Datum Romæ ex d. æd. s. Congnis die et anno supradictis.

*Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.*

AL. CARD. BARNABO, *Præf.*

CONCESSIO MISSÆ SOLEMNIS SS. RELIQUIARUM

*Sancti Germani*

Sacra Rituum Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter à Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX tributis, ad enixas preces Rmi D. Joannis Langevin, Episcopi Sancti Germani benigne annuit ut in Ecclesiis Diœceseos suæ qua voluerint die ab Ordinario pro tempore pro singulis Ecclesiis designanda, unica Missa sollemnis decantari valeat ut in Appendice Missalis